

Rñus P. Iosephus Lordi (1810-1854)

Huius brevis vitae fontes sunt *a*) *Documenta Miscellanea* (Romae 1904), p. 395-424; *b*) defuncti laudatio, quam in ephemeride *L'Eco dell'Esperienza* brevi post eius obitum evulgavit eius connovitiuſ P. Franciscus Lanotte († 1886), et quam P. Kuntz in suis Commentariis (XIX, 194-197) transcriptis; *c*) brevis notitia in antiquo Catalogo Congregationis Neapolitanae (II, fol. 282); *d*) alia notitia in libro Missarum collegii Ciorani, quam item P. Kuntz l. c. p. 193 suis Annalibus inseruit.

Patria gloriosi S. Gerardi Maiella, Lucaniae civitas Muro, etiam Iosepho Lordi ortum dedit, qui ibidem honestis opulentisque parentibus natus est d. 21 Ian. 1810. Ingenio a Creatore dotatus sublimissimo et memoria Mithridatica, ut P. Lanotte scribit, in patrio Seminario integrum philosophiae cursum absolvit, priusquam tertium vitae lustrum complevisset. Spernens nuptias egregias ab aegrotante patre iam pro tempore futuro paratas, d. 20 Nov. 1825 Ligorianam vestem recepit e manibus P. Iosephi Papa, qui ipse hac veste anno post S. Fundatoris mortem (18 Nov. 1788) aetate 14 annorum indutus fuerat († 1850). Inter eiusdem P. Papa manus vota d. 15 Oct. 1826 emisit.

Inde ab initio Iosephi Lordi socios omnes superabat et ingenio et virtute, ac vix a. 1831 subdiaconatum receperat, cum a Rño P. Cocle iussus est philosophiae cathedram ascendere, quam per multos annos continuos occupavit: iuxta Missarum librum Iuranensem per 18 annos, iuxta Catalogum illum antiquum vel longius, nempe usque ad a. 1854. Sacerdotio initiatus est Ariani d. 22 Sept. 1832.

Praesertim in metaphysica seu philosophia speculativa et in mathematicis scientiis eius mirabile ingenium effulgebat, de quo tamen multo melius iudicari posset, si eius scripta, antea Muri Lucani penes familiam eius et nunc in Archivo Provinciae Neapolitanae asservata, evulgarentur.

L. Santorelli in opere *Il fiume Sele e suoi dintorni* (I, 115) eum « philosophum profundum » appellat¹.

Cum memoria retineret quidquid legerat vel audierat, in conversatione versus Horatii, Vergilii, Dantis Alighieri, Torquati Tasso mira facilitate recitabat; pariter historiae sacrae profanaeve facta innumera sciebat. Eloquentiam quoque eius admirabantur propter argumentationis rigorem paene mathematicam, motus patheticos, conceptuum novitatem, illustrationum vivacitatem linguaeque puritatem.

Doctissimus philosophiae Lector in mediis studiis non obliviscebatur scientiam sanctorum. Etiam minimis obligationibus fidelissimus, devotissimus erga Iesum Christum eiusque inclytam Genitricem, imprimis excelebat humilitate ac modestia. P. Lordi fuit inter sex Consultores Rm̄i Vicarii Generalis Vincēntii Trapanese ab ipsa S. Sede d. 5 Aug. 1849 nominatos², itemque d. 1 Iul. 1850 inter Consultores eiusdem P. Trapanese, qui interim a Pio IX Rector Maior renuntiatus erat³; at post paucos menses humilis vir, qui simul infirma utebatur valetudine, honorifico Consultoris generalis munere se abdicavit.

Divisione illa in gremio Congregationis Pontificio Decreto diei 6 Sept. 1853 facta⁴ et Capitulo generali a Visitatore Apostolico Em̄o Cardinali Cosenza, Archiepiscopo Capuano, in diem 3 Maii 1854 Paganos convocato⁵, d. 7 eiusdem mensis P. Lordi statim in primo scrutinio electus est Rector Maior pro regno Utriusque Siciliae, licet nunquam antea fuisset Superior localis. Verumtamen haec electio electo tantum tormentum intulit, ut animus eum in illa sessione Capituli reliquerit et a Cardinali, Capituli praeside, quasi cogendus fuerit ad electionem acceptandam. Quinimmo hoc non contentus ad Pontificii solii gradus munus suum deponere voluit, contestans non prius se assumpturum officii talis perfunctionem quam Christi Vicarius sibi praeter benedictionem manifestasset formalem suam voluntatem, id quod Pius IX illico peramanter perfecit.

Quodsi Rm̄us P. Lordi in prima sua Circulari ait sese oneri imposito esse imparem, « tam ob ingenii tenuitatem, quam ob cuiusvis virtutis

¹ Cfr. M. DE MEULEMEESTER, *Bibliographie* II, 255.

² Textum videsis apud J. WUEST, *Annales* II, 400. — Eius socii erant *Liberator Luciano, Iosephus Vaiano* et tres Transalpini *Michaël Heilig, Andreas Hugues, Victor Dechamps*.

³ L. c. p. 414. — Hac occasione iterum omnes Rectoris Maioris Consultores fuerunt Neapolitani (quia Vicarius Generalis P. Smetana proprios Consultores habebat), videlicet praeter PP. *Lordi, Luciano* et *Vaiano*, PP. *Berruti, Amendola* et *Baldari*.

⁴ *Acta Capitulorum generalium*, p. 303 sq.

⁵ *Documenta Miscellanea* p. 393.

inopiam, et ob debilem sanitatem vexatam et tritam diuturnis et multis infirmitatibus »¹, sola haec ultima ratio valebat.

Zeli eius ardentis testes sunt tres illae longae epistolae circulares 9 Iun. 1854 (ad omnes subditos), 8 Octobris (ad clericos studentes), 26 Octobris (ad missionarios). Proh dolor! Consultori Admonitori Aloysio Tortora iam d. 15 Decembris amarissimum adimplendum erat officium Congregatis Neapolitanis nuntiandi praematuram mortem Rectoris Maioris tam egregii, quae eo ipso die circa horam 10 antemeridianam evenerat². Sic igitur Rñus P. Lordi munere suo gravi non erat perfunctus nisi fere per dimidium annum, quemadmodum ipse in Capitulo generali suis electoribus in animi amaritudine praedixerat: «Ad sex menses me immolastis»³. Circumstantiae autem mortis eiusmodi fuerant, ut singularis huius genuini Redemptoristae virtus novo fulgore splenderet.

Finem faciant haec verba Iuranensis libri Missarum, de P. Lordi postdicae eius obitum ibi notata: *Non può calcolarsi la perdita dalla nostra Congregazione sofferta per la morte di lui, come non può valutarsi il merito sotto ogni riguardo impareggiabile del medesimo, nè con proporzionate parole esprimersi. Egli raccoglieva in se varietà, estensione ed altezza di sapere, profonda umiltà, dolcezza e copia di carità, delicatezza di coscienza, esatezza minuta e costante nella osservanza delle nostre Regole e Costituzioni, sincero affetto alla Congregazione ed ogni dote per dirlo primo sotto ogni rapporto. Per tali riguardi amato, stimato, anzi venerato veniva da quanti di nostro Istituto e secolari il conoscevano, e fra questi fu singolare la stima che si faceva di lui da personaggi dotti del Regno e forasterieri.*

¹ Doc. Misc. p. 396.

² Doc. Misc. p. 422-424.

³ Ita clericis suis studentibus non sine animi commotione quondam narravit R. P. Emanuel Fusco, admodum senex, qui ipse olim Patris Lordi discipulus fuerat.

Amissa obedientia Congregatio subsistere nequit... Obedientia est virtus omnium magis necessaria.

S. Alf. ad Patres Iuranenses mense Oct. 1779.